CARMEN
DE
MEDICO,
IGNORATA MORBI CAUSA,
MALE CURANTE.

TUBINGAE
apud IACOBUM FRIDERICUM HEERBRANDT.
MDCCLXXXIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0001-0
DFG

VIRGILIUS.

Felix; qui potuit rerum cognoſcere cauſas:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0002-6
DFG

VETERUM,

EORUMQUE PROBATORUM AMICORUM

QUADRIGÆ,

CHRISTIANO FREDERICO

IÆGERO,

ET

IOHANNI KÆMPFIO,

ARCHIATRIS,

ILLI VIRTEMBERGICO,

HUIC HANOVIENSI,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0003-1
DFG

ITEMQUE

VILHELMO GODFREDO PLOUCQUET,

ET

CAROLO PHILIPPO DIEZIO,

PROFESSORIBUS *TUBINGENSIBUS*,

ILLI ORDINARIO, HVIC EXTRAORDINARIO,

VIRIS,

DE ARTE SALUTARI BENE MERENTIBUS,

D. D. D.

IANUS IRENÆUS SOLISCUS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0004-7
DFG

Ille vetus Vester, bene quem nouistis,
Amicus
Versiculos Vobis hos iubet esse sacros.
Orat, vt exceptos non tristi fronte legatis,
Antiquusque sui continuetur amor.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0005-3
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0006-9
DFG

Qui plus viginti medicinam fecimus annos,
Atque per hos, noſtram quidquid ſpectauit ad artem,
Attento nobis animo obſeruaſſe videmur,
Curandi methodos, quae vulgo adhibentur, in ipſis
His etiam morbis, vbi nulla, profundius haerens, 5
Integra paullatim depaſcit viſcera labes,
Nec culpam admittunt aegri, aegrorumve miniſtri,
Fauſto reperimus ſucceſſu ſaepe carere.
Cauſam heic peruerſa tantum in ratione medendi
Eſſe ſitam, in dubium nulli reuocare licebit. 10
Quare hos de medica bene credimus arte mereri,
A queis, quæ tacite Medicorum natio peccat,
Pectore ſincero luci exponuntur, vt inde,
Quæ vitanda ſibi ſint, tiro diſcere poſſit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0007-5 DFG

Nam veteranorum rigidas qui flectere mentes 15
Ad meliora volet, laterem Aethiopemve lauabit.

Carmine praesenti non omnia prodere nobis
Propositum est turbae medicae peccata, sed unum
Tantum, quod princeps iure adpellaueris, et quo
Non aliud magis esse frequens inueneris vsquam. 20
Cetera, si versus nostri iudicibus aequis
Accepti fuerint, deinceps fortasse sequentur.

At quid peccati est illud? Tribus accipe! CAUSA
IGNORATA MALI. Morbis adcingere sese
Curandis audent complures, nec tamen ante 25
Veras illorum studuerunt noscere causas.
Sed, nisi praesenti vires natura cubantis
Adiuuet auxilio, numquam curatio talis
Succeder. Merito. Nam qua ratione mederi
Is poterit, quem causa latet, quum tollere morbos 30
Nil aliud sit, quam morborum tollere causas;
Tolli autem a nullo, quae sunt incognita, possint?

Aegros nos ipsi non paucos vidimus olim,
Multos per menses quos curauere: sed intra

Tam

Tam longum ſpatium nil profecere, tametſi 35
Plena inculcarunt ſtomacho medicamina dextra.
Et tamen exiguo potuiſſet tempore morbus
Depelli, Medicis ſi cognita cauſa fuiſſet.
Quae ne non vere quis dicta exiſtimet eſſe,
Hiſtorias aliquot dabimus, quibus illa probentur. 40

HISTORIA PRIMA.

Variolas iuueni ſano, cui ſanguine venae
Turgebant calido, non nemo inſeuerat. Illae
Tempore legitimo coepere erumpere, verum
Agmine tam denſo, vt totum exanthemata corpus
Obtegerent. Nullum tamen ortum eſt inde periclum, 45
Pergente ad finem placide decurrere morbo.

Poſt paullo is iuuenis ſua foedis lintea tingui
Obſeruat maculis, factoque examine, lentum
Humorem a membro reperit ſtillare virili.
Mox acri glandem ſentit prurigine rodi, 50

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0009-9 DFG

Insolitoque videt penem splendere tumore,
Et patitur, quoties vrinam plena remittit
Vesica, immanes extrema in parte dolores.
Illius hinc ingens percellit pectora terror,
Auxiliumque petit Medici, cui vulnera penis 55
Ingenue narrat. Morbum hic meretricis olentis
Concubitu censet contractum, et, pectore quae sit
Suspicio concepta suo, non celat. At aeger,
Vtpote nullius probri sibi conscius, omnes
Per Superos iurat, se numquam intrasse lupanar, 60
Sed tota mores vita servasse pudicos.
Iuranti Medicus simulat se credere: sed, quam
Curandi sequitur rationem, haud discrepat illi,
Quam Venere impura infectis adhibere solebat.
Per quatuor iuuenis (tanta est constantia) menses 65
Exacte sumit, quae curans pharmaca praebet.
Sed quia nil quidquam tam longo ea tempore prosunt,
Atque adeo nullum morbus capit inde leuamen,
Tandem alius Medicus, multum famosus, aditur.
Hic, sicut mos est, Medici praecepta prioris, 70

Vt

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0010-0 DFG

Vt morbi ingenio non respondentia, damnat,
Quumque ex variolis grauibus paullo ante, virile
Quam praesens morbus membrum infestauerit, aegrum
Conualuisse audit, fractas in corpore, tanta
Perpesso, vires accusat. Protinus ergo, 75
Quae lapsum reparent robur, medicamina dantur,
In primisque sacro iunctum cum cortice ferrum.
Sed prior vt plane nullo curatio facta est
Successu: sic huic etiam parere recusat
Morbus, et aegrotum fine fine adfligere pergit. 80
Nam, quamuis multas iam sacri corticis ille
Et ferri libras inuito infulserit ori,
Nulla tamen laeso veniunt solatia peni.
Vltima de prora iacitur nunc ancora, et aeger,
Quem non sanarant tot pharmaca, Pyrmontanis 85
Ablegatur aquis, ex ipso fonte bibendis.
Heic illum primum vidi, quum, nescio, cuius
Suasu, ad me veniens, morbi primordia, et omnem
Decursum, nec non, qua se ratione medentes
Curassent, fuse narraret, meque rogaret, 90

Prae-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0011-5 DFG

Praeciperem, ſibi quae facienda, cauenda, putarem,
Vt morbus poſſet ſuperari aliquando rebellis.
Polliciti, quidquid noſtris in viribus eſſet
Auxilii, adfectam monſtrari ante omnia partem
Iuſſimus, vt certum de morbo ferre liceret 95
Iudicium. Heic vero patuit mox cauſa malorum.
Nam ſuper incumbens glandi cutis, artior aequo,
Et prolixa nimis, ſe non eſt paſſa reduci.
Suſpicio hinc nobis eſt nata probabilis, illo
Tempore, variolis quo pars vix vlla vacarat 100
Corporis, has etiam glandi inſediſſe, cutisque
Artae et prolixae vitio factum eſſe, tenaci
Puri, a variolis fuſo, ne porta pateret:
Incluſum vero pus, accedente calore,
Acrius euadens, generaſſe vlcuſcula, quae nunc 105
Foedum illud plorent, quod ſtillet ab inguine, tabum.
Quum iam cauſa mali viſa haud incerta fuiſſet,
Conueniens illi fieri curatio coepta eſt.
Membrum aeger calido genitale immergere lacti,
Et dormiturus cataplaſmate cingere leni, 110

Nec

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0012-1 DFG

Nec non extractum plumbi admiſcere tepenti
Limphae, atque hunc laticem glandi irrorare iubetur.
Bis ſex poſt horas, quam iuſſis coeperat vti
Auxiliis, paullo leuiores eſſe dolores
Inter meiendum ſentit, *paucisque* diebus 115
Mentula iam *nullo* eſt diſtenta *tumore*, cutisque
Se facile patitur velata a glande *reduci*.
Nunc oculis demum patuerunt vlcera noſtris,
Et cum glande cutis, plagis eroſa profundis.
Sed limpha, extracto plumbi ſaturata, ſubinde 120
Admota, hebdomadis ſpatio ſanauit vtramque,
Atque aeger patrias laetus remeauit ad oras.

HISTORIA SECVNDA.

Matronam quamdam generoſam a pluribus annis
Crebra oculi vexat laeui inflammatio, magnae
Conſociata febri, diro capitisque dolori. 125
Sex ſeptemve dies vbi ſaeuiit illa, nec vllam

Non

Non contemſit opem, paullatim ſponte quieſcit:
Sed vix elapſis remeat ter quinque diebus.
Multos hoc Medicos de morbo conſulit aegra,
Non ſolum illuſtres fama, ſed et arte peritos, 130
Qui variis armis illum deuincere tentant.
Namque alii nimio quaerunt in ſanguine cauſam,
Atque ideo ſectis venis, et hirudine, canthis
Adpoſita, oppugnant: aliis nimis acre videtur
Corruptumve ſerum: quare ceruicibus amplas, 135
Queis aliquis ſtimulans emplaſtrum induxit, alutas,
Puluere cantharidum ſparſas, adhibere frequenter,
Atque cucurbitulas inciſo adfigere ſuadent
Tergo, et fonticulum quoque brachio inurere laeuo.
Praeterea ſumenda per os medicamina dantur, 140
Corporis humores quae puros reddere poſſint,
Mercurius, ſtibium, bardana, et ſarſa parilla.
Saepe quoque extractum, CROLLI de nomine dictum,
Scammoni adiecta reſina, deiicit aluum.
Nec, quas luminibus proprie reparare vigorem 145
Vulgus credit, aquae deſunt, vnguentaque, quotquot

Ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0014-3
DFG

Ad visus alacres fama vsquam laudat, emuntur.

Sed prorsus nullum praestant haec omnia fructum,

Nec morbum prohibent, ne tramite pergat eodem:

Et iam sunt, quibus is sanari posse negetur, 150

Quique relinquendam fatis aegram esse loquantur.

Tunc aliquis senior, titulis et honoribus altis

Praefulgens, reliquis intenta tenentibus ora

Auresque arrectas: Pridem obseruauimus, inquit,

Circuitus morbum certos seruare, febremque 155

Adsiduam illius comitem esse. Hinc censeo, nobis

Vtendum auxilio, quod febrem vincere possit.

Sed quaero ex Vobis, quodnam dandum esse putetis.

Conclamant omnes vno concorditer ore:

AUXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANUS. 160

Subridens senior: Bene respondistis, Amici.

AUXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANUS.

Hoc sumto, febris morbusque fugabitur ipse.

Nec mora; confestim large is praebetur, et aegra

Plures continuat per menses illius vsum. 165

Sed nil proficitur. Morbus cum febre recurrit,

Atque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0015-9 DFG

Atque ſacer cortex conceptam deſtituit ſpem.

Nunc nos arceſſit Matrona. Venimus, et ipſam
Narrantem momenta mali, methodosque medendi,
Audimus. Morbi, (paullo is deceſſerat ante), 170
Luſtrantes oculum, veſtigia nulla videmus,
Et placide ſaliunt, quaſi ſano in corpore, venae.
Iamque os et dentes etiam exploramus, an vllum
Adficiat vitium; ſed nil reperimus in illis.

Plurima mox ſuper his, quae praeceſſere, rogamus. 175
Matrona ingenue reſpondet ad omnia; ſed nil
Adfert, quod morbi doceat cognoſcere cauſam.

Quaerimus in primis ex illa, quomodo menſes
Seſe habeant, et num remeare, fluentibus iſtis,
Conſuerit morbus. Reſpondet, tempore eodem, 180
Quo redeant menſes, morbum remeare, ſed ipſos,
Vt naturali manantes more modoque,
Nil quidquam ad morbi reditum conferre videri.

Longo colloquio finito, dicimus aegrae,
Cauſam nos morbi non dum reperiſſe, nec vllum, 185
Cauſa quoad lateat, morbi ſperare licere

Au-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0016-5
DFG

Auxilium: aſt operam tota nos mente daturos,
Illa vt reddatur manifeſta: ſed huc opus eſſe,
Vt, ſimul atque malum rediturum ſentiat, ad ſe
Nos reuocet, propius quoniam illo tempore poſſit 190
Morbi explorari ratio. *Bis quinque* diebus
Non dum *praeteritis*, reuocati, *nil*, *niſi* quae iam
Nuper de morbo narrauerat aegra, videmus.
Viginti vero quatuor poſt circiter horas
Non nullo adparet gena laeua inflata tumore, 195
Acceduntque breui rubor, et calor, atque dolores.
Iam venit in mentem, interdum contingere, vt acre
Pus in malarum ſinubus generetur, iisque
Incluſum, varii generis ſymptomata praua
Concitet, ac veri non diſſimile eſſe putamus, 200
Matronae tali manare ab origine morbum,
Quem ſic concipimus: Pus, intra concaua malae,
Haerens, nunc nullis agitatur motibus, et tunc,
Immanes oculi modo quae capitisque dolores
Paſſa fuit, morbo Matrona immunis ab omni eſt: 205
Nunc autem id, cauſa quadam accedente, cietur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0017-1 DFG

In motus ſubitos, et tunc mala cuncta reuertunt.
Cauſa illa accedens liquida heic ſatis eſſe videtur,
Quum morbus redeat per ſingula tempora menſum.
Humores, inſtant vbi menſtrua, dumque feruntur, 210
Turguent, ne cſolitis rapiuntur motibus: at, quum
Illud profluuium ceſſauit, ſponte reſidunt.
Haud igitur vera nimis ab ratione remotum
Cenſemus, puris, quod mala includitur, isdem
Temporibus rapidos motus exſiſtere, ſed qui 215
Paullatim, humorum motu ceſſante, quieſcant.
Hanc coniecturam noſtram proponimus aegrae.
Illa ſtatim laeta exclamat: Non te tua fallit
Suſpicio. Ex alto nam me cecidiſſe puellam,
Atque caput grauiter ſaxo adflixiſſe recordor. 220
Saepe etiam tunc, quum morbi ſymptomata ceſſant,
Pruritum quemdam malam intra ſentio laeuam.
Veram nunc tandem cauſam patet eſſe repertam,
Nec non ipſa etiam ſatis eſt curatio plana:
Sed, quum morbus adhuc et febris ſaeuiat, illam 225
Ordiri non dum licet. Ergo mollia tantum

Malam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0018-7
DFG

Malam oculumque ſuper dantur cataplaſmata, quorum
Blando tenta nimis laxetur fibra tepore.
Vt primum ex toto morbum ceſſaſſe videmus,
Chirurgus, iuſſu noſtro, de dentibus illis, 230
Infixi malae qui ſunt, tres extrahit, atque
Alueolos, in queis ſteterant, pertundit, vt amplus
Collecto pateat puri exitus. Aegra dolores,
Quos violenta mouet curatio, pectore forti
Suſtinet: at minimo poſt ingens corripit illam 235
Febris, et immenſo tollit ſe mala tumore.
Sed febrem ſanguis detractus, camphora, nitrum,
Et ſal GLAUBERI, ſine cortice Peruuiano,
Tempore non longo pellunt, malamque tumentem
Lac, ficus in quo coctae ſunt, ore retentum; 240
Atque ex ſeminibus lini cum lacte parata,
Dumque calent, admota genae, cataplaſmata ſanant.
Febre expugnata, malaeque tumore repulſo,
Pus ferri e plaga, ſed lente, cernimus. Ergo,
Qua data per dentes eiectos porta, iubemus 245
Saepe die limphas, ex queis ſint hordea cocta,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0019-5 DFG

Immitti tepidas, adiecto melle rosarum,
Vt mage diluitum fiat pus, et caua malae
Purgentur. (Foetens illud, prauique coloris,
Postulat hoc fieri.) Respondent omnia votis. 250
Cottidie ex patulo multum pus manat hiatu,
Paullatimque minus graue olet, propiusque colori
Accedit sano. Postquam pus parcius ire
Incipit, atque satis malae caua pura videntur,
Herbis traumaticis, myrrhaque, et cortice sacro, 255
Imbutum iniicitur vinum, quod, paruula quaedam
Officula educens, ex toto vulnera sanat.
Ex illo numquam remeauit tempore morbus,
Sanaque iam multos viuit Matrona per annos.

HISTORIA TERTIA.

Vir iuuenis, multo duratus membra labore, 260
Sextum iam mensem, rabidos sine fine dolores
In coxa dextra patiens, cubat. Vndique summa
Cura

Cura edentulae anus, tonſores, pharmacopolae,
Auxilia adportant, vnguenta, emplaſtra, vapores,
Balnea, ſuffitus, cataplaſmata: ad acre ſinapi, 265
Atque ad cantharidas tandem decurritur ipſas:
Sanguis detrahitur venis; purgantibus aluus
Deiicitur, totoque mouetur corpore ſudor.
Cuncta haec placando non ſufficientia morbo
Expertus, Medici ſtatuit ſe credere curae 270
Aeger, meque vocat. Venio, miſerumque virente
Omnia deformem video per membra colore,
Et vix, exeſis macie artubus, oſſa trahentem.
Dulces adſiduus ſomnos dolor eripit; eſca
Linguam nulla iuuat, quia, quidquid guſtat, amarum
eſt: 275
Arentes fauces ſitis importuna fatigat,
Nec valet hanc quamuis largus compeſcere potus.
Quaerenti, quisnam morbus praeceſſerit ante,
Aegrotus narrat, ſub finem Octobris acuta
Se conflictatum grauiter cum febre fuiſſe, 280
Quam ſibi pulueribus Medicus vicinus amaris

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0021-1 DFG

Depulerit; ſanum poſt hanc viXiſſe: ſed, anno
Vergente ad finem, coxae coepiſſe dolores
Sentiri, inque dies magis inualuiſſe magisque.
Continuo febris memini, tunc temporis vrbe 285
Tota graſſatae. Bilis conciuerat illam,
Acris per nimios aeſtatis facta calores.
Nulla huius febris fuerant ſymptomata, quae non
Aegri etiam noſtri febrem comitata fuiſſent.
Qua propter nullus dubito, quin prorſus eadem 290
Febre laborarit. Quum vero pharmaca nulla
Sint data, quae poterant vitiatam expellere bilem,
Concipio, hanc, intus remanentem, et poſtea dextrae
Coxae incumbentem, ſolam cauſam eſſe dolorum.
Curare hinc tali adgredior ratione cubantem: 295
Tartarus, a vomitu quem pharmacopola ciendo
Adpellat, feruentis aquae diſſoluitur vndis,
Vt diſſoluentis librae duo grana decemque
Diſſoluendi inſint. Huius viceſima quarta
Pars laticis decima quaque horae parte bibenda 300
Praebetur, donec vomitus fit. Tum, ſimul atque
Elapſa

Elapſa eſt horae pars quarta, iteratur ab aegro
Iſte latex, iterum donec vomitum elicit. Ac ſic
Pergitur, eiectum donec ſatis eſſe videtur.
Praeterea limpha cryſtallos curo remitti 305
Tartari, et adiicio gratos, quos citrea mala
Preſſa pluunt, ſuccos, et ſacchara, mellave pura.
Atque haec per cyathos hauritur potio, donec
Ter, quater, impurum exonerat deiectio ventrem.
Alternis autem vicibus medicamina noſtro 310
Aegroto dantur, ſic, vt, quum potio ſumta eſt,
Ventriculum vomitu quae purgat, luce ſequente
Altera ſumatur, pellens vitioſa per aluum.
Hunc toto ſeruat curatio menſe tenorem,
Omnesque interea conſtant potusque cibique 315
Fructibus horaeis, vel crudis, (Iunius illo
Tempore agebatur) vel coctis, lacteque, pinguis
Orbo butyri: ſed, viribus apta tuendis,
Interponuntur Rhenani munera Bacchi.
Magna ita cottidie corruptae copia bilis 320
Cui porri color eſt, expellitur. Inde dolorum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0023-3 DFG

Placatur furor, et ſymptomata cetera multo
Euadunt leuiora: ſitis non amplius vrguet,
Et longa eſcarum fugiunt faſtidia: corpus,
Confectum macie, fit plenius: ora colore 325
Lurida tinguuntur ſano, paucisque diebus
A menſe exacto valet aeger, vt ante valebat.

HISTORIA QUARTA.

Virgo, annos quae iam viginti quinque peregit,
Firmum corpus habens, et ſanis turgida ſuccis
Vaſa, tamen numquam, patitur quem femina, fluxum 330
Sanguinis experta eſt: ſed, ab annis octo nouemve,
Binis, quotquot eunt menſes, ternisve diebus
Saeuos lumborum ſentit ventrisque dolores.
Plures interea ſexus vtriusque medentes
Aegrotam curant. Primo leuioribus armis 335

Pug-

Pugnatur. Tepefacta pedes fouet vnda: vapores
Ad vuluam adſcendunt: in talo vena ſecatur,
Atque chamaemeli flores, rutaque crocoque
Permixti, macerantur aqua, calidique bibuntur,
Nec non et pilulae polychreſtae ſaepe morantem 340
Sollicitant aluum. Nil proficientibus iſtis,
Ad nigri hellebori fibras, acremque ſabinam,
Et quidquid valide cunctantia pellere credunt
Menſtrua, confugitur. Verum haec mox abiicit aegra,
Quum, vix hebdomadum ſpatio illis vſa duarum, 345
Sentiat inde graues noxas exſiſtere. Namque
Opprimitur thorax, et ſputa cruenta citantur.
Nunc via curandi contraria prorſus initur,
Atque manu plena, nimios quod temperet aeſtus,
Nitrum praebetur. Verum nihil hoc quoque prodeſt. 350
Forte domum veniens, habitatam a virgine, alius
Aegri viſendi cauſa, compellor ab illa,
Enixisque rogor precibus, ſibi ferre medelam.
Omnia ſollicite morbi, in primisque dolorum,
Momenta explorans, hos, audio, ſemper ab imis 355

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0025-5 DFG

Ordiri lumbis; hinc pergere ad inguen vtrumque
Et pubem; grauis heic ſenſum quaſi ponderis eſſe,
Cui protrudendo immanes impendere fruſtra
Cogatur nixus; tandem tormenta repente
Murmure cum rauco in ventrem irruere, huncque tumore 360
Attolli tanto, rupturam vt ſaepe minetur.

Ex his coniicio, cauſam, cur menſtrua numquam
Aegrae manarint, hanc eſſe, quod exitus illis
Non pateat, ſed firmus obex vuluae oſtia claudat.

Coniectura mihi quam non ſit falſa ſuborta, 365
Mox factum examen demonſtrat. Namque, pudendi
Diductis labiis, nec paruula rimula viſu
Detegitur, digitusque, locum, quo cunnus hiante
Ore ſedet, tangens, nullam ſibi cedere partem
Sentit, ſed carnis validae omnes more reniti. 370

Pharmaca ad hoc vitium nil poſſe valere, ſed omne
Auxilium a ſolo ferro dico eſſe petendum.

Ergo curandam ſe credit virgo perito
Chirurgo. Is, quamuis audax, (terraque marique

Vul-

Vulnera bellantum multos curauerat annos) 375
Postquam acri vitium lustrauit lumine, primo
Illi adhibere manum non audet, quippe timendum
Esse ratus, ne sit curatio plena pericli:
Mox autem reputans, alia ratione salutem
Sperari non posse, et serius, ocius, aegram 380
Tristi, ni manent olim catamenia, fato
Interituram, opus adgreditur, cauteque, manuque
Suspensa, vuluae claudentes ostia carnes
Incidit. Plures post menses forte reuisens
Aegrotam, qui nunc valeat, rogo. *Sanguinis, illa,* 385
Paucas, respondet, certis stillare diebus
Guttas, sed nihilo leuiores esse dolores.
Incisam inspicio plagam, sed nec satis altam,
Et nimis angustam, deprehendo. Latius ergo
Incidi iubeo, paulloque profundius. An mos 390
Sit iussis gestus, non possum dicere. Namque
Ex illo numquam visa est mihi tempore virgo.

HI-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0027-7
DFG

HISTORIA QUINTA.

Vir ſanus, gaudens primaeuo flore iuuentae,
Duxerat inſignem forma, recteque valentem
Vxorem, quacum quatuor iam vixerat annos. 395
Nulla haec interea facit illum prole parentem,
Quam deſideriis ardentibus optat vterque.
Non fatui cunni eſt vxor, neruusque mariti
Mirum robur habet, ſic, nocte vt ſaepius vna
Ter coitum celebret, neque delaſſetur. In vtro 400
Coniugii *ſterilis ratio quaerenda ſit*, omnes
Conſulti Medici ſeſe neſcire fatentur.
Multa tamen ſuadent, variis Veneremque figuris
Exercere iubent. Verum nihil omnia proſunt.
Occupat vxoris tandem perſuaſio mentem, 405
Eſſe viro vitium, quod, ne ſe compleat, obſter.
Nec ſilet hoc, ſed ei verbis exprobrat amaris.
Ille, hinc ingenti percuſſus corda dolore,
Conficit adſiduis corpus miſerabile curis.

Non

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0028-2
DFG

Non potus, non esca sapit; non recreat artus 410
Defessos nocturna quies, quam somnia turbant,
Somnia, sollicitum varie terrentia pectus;
Os pallet; macies infelix ossa renudat;
Ipse, inter viuos tenuis velut vmbra, vagatur.
Mox quoque, qui Veneris curanda ad munia promti 415
Atque alacres fuerant, sentit languescere neruos.
Nec mirum hoc. Animo curis vrentibus aegro,
Femina, sit quamuis Helena formosior ipsa,
Nequidquam iubeat penem sibi stare iacentem:
Semper contra illam cura imperiosa manebit. 420
Interea vxoris prurisens vulua frequentes
Poscere clinopalas pergit, miserumque maritum
Hinc noua cura premit, veterem cumulatque dolorem.
Nunc ambo me conueniunt, et, si quod ab arte
Auxilium nostra sperari possit, vt illud 425
Exhibeam, rogitant. Nego, me promittere quidquam
Posse, nisi inspectis membris vtriusque verendis.
Vestibus abiectis, oportuneque locato

Cor-

Corpore, mox vxor nudat genitale, meisque
Contemplandum oculis exponit. Singula visu 430
Et tactu attente perlustro: sed extus et intus
Nil magis est sanum, nil consummatius illo,
Ipsius vt Veneris iures te cernere concham.
Lustrato vxoris cunno, sanoque reperto,
Penem exploro viri, vitium qui protinus offert, 435
Fecundum coitum prohibens exsistere, glandis
Fraenum aequo breuius, propter quod mentula recta
Tendi non patitur, sed paullum flexa deorsum.
Nec vero dubium est, quin sic muliebribus aruis
Immitti numquam genitalia semina possint, 440
Sed solam irrorent vaginam. Arcessitur ergo
Chirurgus, fraenumque leui praeciditur ictu.
Et nunc summa replent amborum gaudia pectus.
Ecquid enim potius voueant sibi femina virque,
Quam sana in sano ne mentula corpore non sit? 445
Exiguo antiquum reparans vir tempore robur,
Vxoris pulchro miscetur corpore: at illa
Paullo post grauidam se factam percipit esse,

Le-

Legitimoque parit formosam mense puellam,
Quam mihi, non patri, deberi, saepe iocatur.

HISTORIA SEXTA.

Filia Matronae generosae, ter duo supra
Septem nata annos, aetatem sana per omnem
Vixit: sed lapsi sunt menses octo decemque,
Ex quo terrificis *conuulsio motibus illam*,
Saepe quidem, neque certa tamen per tempora, quassat. 455
Nemo quisquam aliquid meminit praecedere primum
Accessum, vnde mali videatur origo petenda.
Nec causae vllius se significatio prodit,
Quae merito possit veri vicina vocari.
Non tamen haec prohibent Medicos, ne plurima tentent. 460
Permulti, morbum tribuentes vermibus, omnes
Radices, herbas, flores, et semina, quorum

Vis

Vis ad pellendos *illos* ſatis eſſe probata
Creditur, argenti viui dant pondere iuncto.
Quidam accuſantes defectos robore neruos, 465
Ferro depugnant et cortice Peruuiano.
Denique non nulli, menſes inſtare, putantes,
Large, queis illi cieantur, pharmaca praebent.
Nulla vbi ſuccedit curatio, nos quoque mater
Arceſſit, fidisque rogat ſuccurrere natae 470
Conſiliis. Aliquot nos dicimus eſſe diebus
Saepe inuiſuros aegram, momentaque morbi
Obſeruaturos: *nam ſic contingere poſſe,*
Vt vera illius tandem pateſiat origo,
Et propriam nobis liceat reperire medelam. 475
Iam quarto quintove die cognoſcimus, ipſam
Aegram eſſe auctorem morbi. Quae nocte dieque
Illam curet, adeſt laſciua ſalaxque puella.
Nos, quoties viſum Matronae ad tecta venimus,
Ambas conſpicimus iuſto feruentius inter 480
Seſe amplectentes, inſuetaque baſia dantes,
Sub quibus alterius linguam altera vibrat in ore,

Erran-

Errantes animas labiis ſugentibus, atque,
Mammarum niueos dextris preſſantibus orbes.
Praeterea interdum pariter conclaue relinquunt, 485
Quumque reuertuntur, nimius rubor ora colorat.
His viſis, turpi tribadum quin crimine ſeſe
Commaculent, dubium nobis non eſſe videtur.
Et nunc, pro certa nos ponere, dicimus, vnam
Hanc morbi cauſam, quod adhuc catamenia ceſ-
ſent: 490
At, quia pellendis his tot *medicamina nullo*
Sint data cum fructu, veri ſimile eſſe, verendam
Partem aliquo adfectam vitio, quod ſanguinis obſtet
Profluuio, et morbum foueat. Sed, quale ſit iſtud,
Non poſſe a nobis, niſi facto examine, ſciri. 495
Adprobat examen mater: ſed nata, pudorem
Virgineum laedi cauſata, ſubire recuſat.
Mox autem, compulſa minis, ſe ſubiicit illi,
Et, molli compoſta toro, genitale renudat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0033-9 DFG

Heic oculis offert cunni se tantus hiatus, 500
Vt quamuis crasso pateat via commoda peni.
Portam tam patulam nos matri ostendimus, et, quod
Flagitium soleat committere nata, docemus.
Haec plane conuicta, nec ausa negare, fatetur,
Vel nomen sceleris sese ignorasse, sed ante 505
Tres annos primum id famula didicisse magistra.
Quomodo patretur, non cauta matre rogante,
(Quae numquam audierat patrari talia) cistam
Angulo ab occulto profert, recludit, et inde
Instrumenta aliquot, tentos referentia penes, 510
Depromit: nudatam isthaec praecingere pubi
Alteram, et alterius nudatae intrudere cunno,
Totisque adnisam spissos dare viribus ictus.
Sic futui alternis inter se, languida donec
Iam non sufficiant ad lumbos membra vibrandos, 515

Et

Et ſaeua in venis exſtincta libido reſidat.

Inſtrumenta igni traduntur, filia poenam,

Virgis caeſa, luit, famulamque ergaſtula claudunt.

Aegrae nil aliud, niſi balnea frigida, et aptos

Suademus, qui corpus alant, potusque cibosque, 520

Queis vſa, et fugiens, quod perpetrauerat olim,

Flagitium, numquam poſthac conuellitur artus.

Paullo poſt vltro coeperunt menſtrua ferri:

Ipſa *autem iuueni, ſex annos* nata decemque,

Robuſto nubens, nunc viuit ſana, valetque. 525

Addere propoſitis exemplis mille liceret,

Quae vel per medicos ſunt faſtos ſparſa, vel ipſis,

Artem dum facimus, nobis oblata: ſed iſta

Suſſiciant. Cenſemus enim, ſatis inde patere,

Quanti ſit veras morborum noſcere cauſas. 530

Quum vero, vt recte morbi curatio cedat,

Tanti momenti ſit perſpicientia cauſae,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0035-1 DFG

Quid facit, vt Medicos centum inter vix duo tresve
Inueniantur, eam penitus qui nosse laborent?
In promtu ratio est. Rerum cognoscere causas, 535
Quae densa plerumque latent caligine tectae,
Difficilis res est atque ardua. Namque sagaci
Non modo mente, sed et magno longoque labore
Huc opus est. Multis autem natura nouerca
Ingenium, quod eo valeat penetrare, negauit, 540
Et longe plures, si quid studium exigit acre,
Odere, ac lusum, ludos, conuiuia, quidquid
Sensus oblectat, potius, quam seria, curant.
Quin et non nullis inuestigatio causae
Inter res nimium subtiles, nullius vsus, 545
Soli linquendas cathedrae, numeranda videtur.
Inde fit, vt vulgo Medici symptomata tantum,
Quae sese comites consuerunt addere morbo,
Nulla habita causae, curent, ratione. Sed isto

Vix

Vix vnum poterunt morbum depellere pacto. 550
Namque haec, quae curant, aliud ſymptomata non ſunt,
Quam morbi effectus: hos autem quomodo, cauſa
Quis, non ſublata, ſperet ſe tollere poſſe?
Nec vero methodus, morbi ſymptomata, cauſa
Neglecta, curans, hoc ſolo nomine iuſtum 555
Crimen habet, morbis quod numquam liberat aegros,
Verum ideo potius, quod vitae ſaepe periclo
Illos exponit, vel funere mergit acerbo.
Namque malum, nemo dum cauſam tollere tentat,
Permanet, inque dies gliſcit magis. Vnde ſuprema, 560
Serius, aut citius, properari fata, neceſſe eſt.
Quare agite, o iuuenes, quibus aegri vita ſalusque

Cordi

Cordi eſt, ingenii huc omnes intendite neruos,
Veram vt diſcatis morborum noſcere cauſam,
Et numquam, docta niſi ſi plus arte valebunt, 565
Succeſſu fauſto curatio veſtra carebit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0038-8
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0039-6
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146392-p0040-7
DFG